

## De l'avantage d'être un sage

Suāve, marī magnō turbantibus aequora ventīs,  
ē terrā, magnum alterius spectāre labōrem ;  
nōn quia vexārī quemquamst jūcunda voluptās,  
4 sed quibus ipse malīs careās quia cernere suāvest.

Per campōs īnstrūcta tuā sine parte perīclī,  
suāve etiam bellī certāmina magna tuērī ;  
8 sed nihil dulcius est bene quam mūnīta tenēre  
ēdita doctrīnā sapientum templa serēnā,  
dēspicere unde queās aliōs passimque vidēre  
errāre atque viam pālantis quaerere vītae,  
12 certāre ingeniō, contendere nōbilitāte,  
noctēs atque diēs nītī praestante labōre  
ad summās ēmergere opēs rērumque potīrī.

16 Ō miserās hominum mentēs, ō pectora caeca !  
Quālibus in tenebrīs vītae quantisque perīclīs  
dēgitur hōc aevī quodcumquest ! Nōnne vidēre  
nīl aliud sibi nātūram lātrāre, nisi ut quī  
20 corpore sejūctus dolor absit — mente fruātur  
jūcundō sēnsū, cūrā sēmōta metūque ?

Lucretiī (99-55) *dē rērum nātūrā*, Liber II